



EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB.BAR.de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

Gy, 10.

27.

ORATIO
HISTORICO-POLITICA

De

MUTATIONIBVS
RERVM PUBLICARVM
Earumque Causis.

Quam

SVB DIVINIS AUSPICIIS
& Moderamine

SAMVELIS ANDREÆ,

Historiarum & Linguæ Græcæ Professoris
ac Pædagogearchæ,

In publico & frequenti Athenæi Nassovici confluxu ex
memoriâ deprompturus est

JOHANNES JODOCUS WEIDENBACHIUS,

Herbornæ Nassovius, Author.


Ad diem 22. Augusti horâ octayâ, in Auditorio majori.



JOHANNES JODOCUS WEIDENBACHIUS

HERBORNAE NASSOVIORUM. 1666.

Viro doctissimo
Dr. Joh. Gerlaco Wilhel.
Gymnasiæ Heidelb. Repto
cum pl. salute mittit
A. Stander




CELSISSIMO ET ILLVSTRISSIMO
PRINCIPI ac DOMINO.

DN. HENRICO
D. G. NASSOVIAE
PRINCIPI, COMITI CATTI-
MELIBOCI, VIANDÆ ac DE-
CIÆ, DYNASTÆ BEILSTEINII,
DOMINO MEO CLEMEN-
TISSIMO

Hasce studii mei Oratorii primitias
devotâ mente consecro humillimè,
CELSITUDINI SUÆ
Nexu & mancupio obstrictissimus,

JOHANNES JODOCUS WEIDENBACHIUS,
S.S. Theologiæ Studiosus Herbornâ Nassovius,
Author.



ORATIO
HISTORICO-POLITICA
De
**MUTATIONIBVS
RERUMPVBLICARVM**
Earumque Causis.



Voties, Auditores omnium
ordinum spectatissimi, quoties inquam
præsentem rerum faciem intueor; quo-
ties oculos in hâc mundi scenâ circum-
fero; vix possum linguam stupore licet
præpeditam continere, quin pectore
quasi consernato cum sapientissimo Ecclesiaste altâ vo-
ce intonem & exclamem: Vanitas vanitatum &
omnia vanitas ! Siquidem cunctorum subluna-
rium eandem video esse conditionem; vana, fluxa & ca-
duca etiam illa quæ firmissima videntur & maxime stabi-
li nixa pede, nec minus verè Poëtam admirabundum di-
xisse: quantum est in rebus inane! Quod si Doctorem
& lumen hujus desideratis, omnia à sapientissimo rerum
conditore creata inspicite, & cuncta interitui obnoxia,
cuncta mutationi subiecta esse, oculi vestri auresque spe-
culabuntur. Omira & nunquam comprehensa neces-

A 2

statis lex! Quicquid enim ex imo ad summum claritatis fastigium perductum, rursus resolvitur in suum principium, & ad nihil redigitur. Solus utiq; Deus immutabilis uti nulla lucis & tenebrarum vicissitudine tenetur, sic nullis alteratur casibus, sed omnis expers mutationis æternis fruitur consiliis, eademq; inevitabili fatorum lege semper idem & erga omnes in omne ævum exequitur. At rerum humanarum alia ratio, quæ quotquot sunt, sortem versatilis & conditionem dubiā agnoscunt. Nihil in hoc orbe statum, immobile nihil. Quicquid creatum, eo ipso obnoxium mutationi uti nascendi momētum habuit, sic horā pereundi expectat. Videmus hoc in plantis & herbis, videmus in arboribus, quę vetustate tandem corrumpuntur & intereunt. Etiam quercus annos alicet, tandem tamen interit, consumitur, perit. Idem in brutis cōspicimus, in corvis & cervis, qui, licet vivaces admodū sint, tandem tamen moriuntur. Nec minūs in homine totius universi compendio id animadvertisimus, cuius ætas licet annum octuagesimum attingat, tandem tamen decurrit & corpus in pulverem redigitur. Ut sanè verum sit illud Poëtæ:

Omnia mortali mutantur lege creata..

Quid mirum ergò, si & imperia huic legi subjecta, ab illâ sese liberare nequeant, quam potentia, quam magnifica, quam splendida & opulenta etiam sint? Quid in quā mirum? Cùm ut in hominibus singulis adolescentia & robur, senecta & mors; sic in magno illo Reipubl. corpore certa etiam sint ætatis intervalla & non eadem semper temporum constitutio. Ut scitè admodum Seneca dicat: Usque adeo nihil stabile est: tam urbium quam hominum fata volvuntur. Nam res etiam inanimatæ & incorporeæ mutationem illam persentiscunt; nubilo serena;

5

serena succedunt; Maria & Oceanus turbantur, cùm qui-
everunt; Cœlum & stellæ moventur, moles etiam fir-
missima cum ætate corruit, truditur dies die, novæque
pergunt interire lunæ:

Mutat terra vices & decrescentia ripas

flumina prætereunt.

Immortalia ne spores monet annus & alnum
quaerapit hora diem.

Id ipsum Crœsus, Rex Lydorum ditissimus quondam, suo expertus malo agnovit, cùm ad Cyrus Periarum Regem, cuius jugum subire durissimo necessitatis telo coactus erat, ait: Rerum humanarum cursum instar circuli esse, qui rotatus semper easdem fortunatas esse non sinat. Eam verò rerum humanarum vicissitudinem etiam in imperiis mundanis insigniter videre licet. Oriuntur illa, occidunt rutsus; jam crescunt, mox decrescunt; nunc florent, paulo post marcent: jam vigent, mox rigent. De quibus rerum publ. & imperiorum mutationibus, tam conversionibus quam eversionibus, cùm declamādi mihi amplissimus impræsentiarum pateat campus, cuius limites quam patet orbis se extendūt, vos quæso A. omnium ordinum hum. suscepitam tam gravis negotii causam juvate, & æquitate ac benevolentia vestrâ, meam de hâc dicendi imbecillitatem sustinete!!

Inter alia veterum sapientum divina effata illud quoq;
Epicteti invenio, quod unicuique rei duas esse ansas dixerit, alteram, quam teneri possit, alteram, quam non possit: quo non solum occasionum diversitatem, commoda & incomoda designabat, sed & dubiam omnium rerum sortem, cum Proteo colores mutantem, apertè significabat. Quod quam verè dictum sit, etiam Rerum publ. re-

A. 3,

gnorum & imperiorum, mutationes satis superq; demon-
strant, quæ vel in melius vergunt, & conversionem ali-
quam lætam respiciunt, vel in pejus & eversionem eorū-
dem tristiori fato tendunt. Quædam concutiunt saltem.
Aliæ verò subvertunt & solo æquant. Uti morborum
varia genera, sic diversæ quoque imperiorum clades.
Nunc Iliaca passio ipsa viscera infestat, nunc arthritis per
omnia membra vagatur. Occupat quandoque caput pe-
stilentissimorum Consiliorum phrenesis, imò totum cor-
pus lethalis torpor & in præsenti periculo supina securi-
tas nonnunquam invadit. Quin imò sæpissimè ferri mili-
taris acies integros refecat artus, & corpus mutilum re-
linquit. Oculos in quascunq; mundi plagas vertentibus,
uberrima in hanc rem exemplorum seges se ostendet.
Pleni enim de his annales, plena temporum omnium
monumenta, & hodiernus adhuc dies luce meridianâ
clariùs id testatur. Decrescente uno, crescit alterum.
Plurima dominia olim suo splendore illustria, nunc sub
umbra alterius latent. Quot non discordia sustulit? Quot
non Turca absorpsit? Græcia olim sola impetum potentissi-
morum Persiæ Regum, Darii Hyrcanis, Xerxis, susti-
nuit. Nunc sub jugo barbaro getnit, discepta, vastata,
& vix illum pristinæ virtutis & potentiae vestigium refert.
Roma olim caput orbis & urbs florentissima erat, juxta
illud Martialis:

*Terrarum Dea gentiumque Roma,
Cui par est nihil, & nihil secundum.*

Senatus Augustus jura omnibus populis dabat. Hæc
Resp. ita præclaris legibus & egregiis institutis, non sine
magnō labore firmata erat, ut perpetuo duratura & in o-
mne ævum perennatura videretur. Nam condiderat
eam

7

eam Romulus. Cultum divinum introduxerat popu-
lumque legibus obstrinxerat Numa Pompilius. Eundem
in arte militari doctum versatumque dederat Tullus Ho-
stilius. Coloniis urbem dilataverat Ancus Marcius. In-
signibus populum omnibusque splendidis ornamentis,
quibus imperii dignitas eminet, decoraverat Tarquinius.
Priscus. Rempublicam totam eā Servius Tullius ordi-
nauerat solertiā, ut maxima civitas minimæ domus dili-
gentiā videretur contineri. Ubi etiam Tarquinii Super-
bi importuna dominatio populum injuriis agitatum cu-
piditate libertatis incendit, non defuit præclarus ejusdem
vindex L. Junius Brutus, qui ejectis Regibus, suam con-
sulibus majestatem, priscam senatui autoritatem, libe-
ras Patribus voces reddidit. Unde Respublica postmo-
dum, quamdiu vetus disciplina & antiqua morum inte-
gritas stetit, aucta in immensum crevit, impetus hostium
potentissimorum inconcussa pertulit, fidum sociis in di-
scrimine præsidium & certissima afflictis tutela. At ubi
nunc eam requiras? Evanuit. Decrevit sensim, postquam
supremum imperium à senatu ad Dictatores perpetuos
transiit, ex quo Syllæ dominatum quasi sub jugum missa-
tulit, coacta postmodum ad unius vivere arbitrium armis
Julii & blandiciis Augusti, qui cuncta discordiis civilibus
fessa nomine Principis sub imperium accepit. Quot non
belluas deinceps ferino ritu imperantes cum gemitu a-
gnovit? Quot non subinde durissimas vices, alternante
bonorum & malorum Principum imperio, experta fuit?
Pertulit illa Caligulæ furores, Claudi dementiam, Nero-
nis libidines, Commodi cædes, Heliogabali turpitudines,
aliorumque tyrannidem verius quam dominationem.
Tandem verò Romanum nomen sub Augustulo planè

exspiravit. Quoties deinde *Italia* dominos mutavit? A Tyrannis s̄epius vexata. Occupata à Gothis, Hunnis, Longobardis; nunc Attilæ flagellum, nunc Genserici rapinas exp̄erta; coacta subire jugum s̄epius Theodorici & Totilæ Gothorum, atq; Odoacri Herulorum Regis. Hodie quot urbes fermè, tot Dominos habet. Imò nullum in Europa regnum, quod notabilem mutationem haud senserit.

Britannia A quilæ Romanorum vītrici cedere coacta, ubi Saxonum copias manusq; auxiliates ad tuendam libertatem admisit, crescente horum potentia intestino bello implicita, eosdem ejecit, & denuò recepit. Regnum postea in principatus divisum, quorum unus regio titulo insignis erat, donec Egbertus West-Saxonum Rex omnes sub potestatem suam reduxit. A Danis deinde insula occupata, quorum imperium haud diuturnum, quòd pro libidine magis quàm ratione illud administrarent. Succes- sere Normanni Wilhelmo Victorioso Duce, cuius hæres & posteri, variâ usi fortunâ, nunc exclusi regno, mox denuò admissi sunt. Inter familias regias lites de imperio infinitæ, quas tandem Henricus VII finivit. Deniq; Jacobus VI Scotiæ Rex, Elisabethâ defunctâ, totum magnæ Britanniæ regnum unius imperio subjecit. Taceo novissimas revolutiones, ubi idem regnum speciem per aliquot annos reipublicæ habuit, postmodum arbitrio tyranni ad tempus paruit, tandem verò non sine miraculo, animis derepente mutatis, legitimum dominū suscepit. *Gallia* insignem mutationem sensit, (quis enim omnes enumeret?) quādo Angli totam fermè occupârunt, unde etiamnum horum Reges titulo Regum Franciæ gaudent. *Hispania* jugo Saracenico, perfidiâ Comitis Juliani, collum subdere coacta, satis diu Maurorum tyrānidem sustinuit, donec

donec virtute Regis Ferdinandi, pulsis & migrare jussis
infidelibus, totum iterum sub potestarem Christianorum
venit, & Rege Scbastiano in Africâ cæso, adeoq; stirpe
Regiâ deficiente, vicinam Lusitaniam sibi junxit, qua ante
annos haud multos Hispanos exosa proprium sibi legit
dominum, hodieq; possidet. *Hungaria* quoties dominis
mutatis & ipsa notabiles experta fuit mutationes, sive Po-
loniae conjuncta, sive Germaniae subiecta? A Turcis mi-
serè lacinata etiamnum maximam partem eorum im-
perio subest. *Bohemia* regnum quondam electitum, nunc
hæreditarium, quām insignes mutationes viderit, loquan-
tur Hussitarum ante bina seculatum tumultus, & funesta nu-
peri fatalis belli clades, ubi Cæsare Augusto & Electore
Palatino de regni possessione certantibus, præda militaris
ferociæ fuit. Bohemorum propago *Polonorum* Duces pri-
mi, regnum posteris variis Casibus obnoxium reliquere.
Tartari illud cæso Henrico, fortissimo Silesiorum Duce,
propè conculcârunt. Pulsus fermè & ab omnibus deser-
tus Rex Casimirus, dum de Borussiâ cum Cruciferorum
militari & sacro ordine contendit. Et nuperrimè à Sue-
co subacta Polonia ejus jam agnoscebat imperium, &
legitimum dominum desertura videbatur penitus, nî ali-
ter volentibus fatis, atque urbe Dantiscanâ etiam in di-
scrimine fidem servâte, ad pristinum dominum rediisset.
Imò hodiedum motibus intestinis tota concutitur, &
quietem magis spirat quām sperat. *Suecia* porrò & *Daniæ*
regnorum istæ fuerunt vicissitudines, ut tædiosum
foret, si quomodo nunc conjuncta, mox divisa, perpe-
tuò inter se collisa fuerint, vel obiter instituerem narrare.
Sed quid peregrina specto? Ipsa utique *Germania* suffi-
ciens in hanc rem exemplum. Ut vetera taceam, quando

B

nunc cum Aquilis Romanis contendebat, & perpetuam
verebatur servitutem à legionibus illorum; mox verò
excusso jugo, Ducibus Ariovisto, Arminio, Civile, in li-
bertatem se vendicabat. Nonne infinitæ in regimine
mutationes secutæ, ex quo Christo nomen dedit? Quan-
do Cæsarea dignitas nunc penes Francos, nunc penes
Saxones fuit, mox ad alias familiās migravit & vix tandem
in Augustâ Austriacorum Ducum stirpe fixum quadan-
tenus reperit domicilium. Nunquam sanè idem statuum
Imperii numerus. Multorum Ducum, Comitum, Dyna-
starū tituli interciderunt. Suevorum Duces magni quon-
dam nominis in imperio. Ex eorum numero Rudolphus
etiam fastigio imperatorio dignus judicatus. Hodie vix
titulus superest. Ipse Ducatus, in varias partes disceptus,
variis dominis subest. Idem aliorum fatum fuit dominio-
rum, quæ nunquam eidem subjecta fuerunt potestati, sed
variis fortunæ ludibriis obnoxia peregrinæ potentiaz suc-
cubuerunt. Qualia infinita produci possent, nî tot viva-
cuvis occurrerent mutationum in imperio, dominiorum
translatorum, imminutorum testimonia, quæ bellum ci-
vile, intra viscera Germaniæ ab omnibus ferè Europæ po-
pulis gestum, reliquit. Quod si Africa semper aliquid fert
novi, haud dubitandum videtur etiam novos eam sapissi-
mè expertam fuisse Dominos & mutatam regiminis fa-
ciem. Quid non olim Carthago potuit? Cum Romanis de
imperio certavit cùm maxime florerent. Exercitus maxi-
mos simul diversis in locis aluit Asdrubalem atq; Anni-
balem, Hispaniam & Italiam vexantes. At ubi nunc? A
Scipione expugnata funditus periit. Numidæ Reges olim
potentissimi erant. Maſinissæ amicitia Romanis profuit,
nec minus obfuit Syphacis potentia. Quæ vires Jugurthæ
fuerint

111

fuerint bellum Sallustii Jugurthinum loquatur. Nunc vero Numidia unà cum aliis innumeris Turcicum jugum suscepit. Imò ne quidem ipse novus orbis diversis à communis rerum publicarum fato gaudet legibus. Quot potenterissimi quondam *Indiae* Reges fuere? Quām latè patens Attabalipæ in Peruvianâ ditione regnum erat? Quantā fulgebat opulentia, cùm tot haberet stipatorum millia & templum Solis in urbe Cusco stupendis ornamentiis datum? Sed nihilominus id momento quasi Hispanis cessit. Ipse Rex captivus, quamvis immane redemptionis pretium persolvisset, pfidiæ tamen victima cecidit, manu Carnificis stragulatus. *Chinensum* potentissimum imperium fuit. At maxima in eodē accidit mutatio, ubi Tartari justis de causis illud invaserunt, nec minimā ejus partem occuparunt.

Sed quid ego in enarrandis quibusdam ante aliquot lustra exemplis tempus frustra in sumo? Nemo utiq; est, qui ullatenus dubitare queat, quin omni ætate tales imperiorum Conversiones & eversiones factæ sint atque quotidie fiant; unde meritò actum agere & aures obtundere videatur, qui exemplorum cumulo id quod cuivis obvium probare satagit. Fas tamen erit pace vestrâ, (Aud. opt.) in causas harum mutationum paulò altius inquirere, quò pateat, non ex communi tantum fatorum lege, quâ nihil in hoc mundo stabile, sed aliunde quoque eas provenire. Uticorpus sàpè morborum & necis causam intra viscera conclusam tenet, sic & domestica sàpissimè in rebus publicis exitii origo. Præcipuam, quò omnia reduci possunt, S. Scriptura suppeditat, docens propter peccata populi regna transferri & mutari, propter dominorū impotentem dominatum, detrusis illis alios ad gubernacula vocari. Ubi nempe mixta crudelitati luxuria dominatur, nominis di-

vini contemptus licentiæ effusæ & prolixæ securitati jun-
gitur, vergit cum domino subditus ad interitum. Cùm
enim Reges ac Principes mandatorum Dei immemores
numinis divini cultum aut parvum aut pravum exercent,
non ipsi solùm puniuntur, sed in eandem calamitatis na-
sam etiā subditi pertrahuntur. Nam quæ causa supremum
numen impulit ut regnum Samariæ à Salmanasare Rege
Assyriorum occupari decemq; tribus in Assyriam, mani-
bus post terga revinctis, deportari permitteret? Idolola-
tria. Deus scilicet uti severissimus nominis sui & gloriæ
vindex, ita impunitum abire non sinit verbi sui contem-
ptum, sed perniciosa hanc hominum sentinam inexpia-
bili odio aversatur, & exquisitissimis suppliciis, quâ publi-
cis quâ privatis, in eam animadvertisit. Quod ipsa etiā cras-
fo superstitionis velo involuta Ethnicorum cæcitas agnō-
vit. Ideoque inter alia illud Venusini notatu dignissimum
est, quando in hæc prorumpit verba:

sæpè dies piter
neglectus, incesto addidit integrum.
Rarò antecedentem scelestum
deseruit pede pœna clando.

Quodnam quæsò Salomonis regno splendidius fuit, quod
à Davide patre divinis promissionibus fuerat adeptus? At
quid dicit S. Scriptura? Eo ipso quod non observasti fædus
meum & statuta mea, quæ præcepi tibi, omnino lacerabo
hoc regnum à te ac tradam servotuo. Cujus cominatio-
nis veritas post obitum Salomonis in filio Rehabeamo
demonstrata fuit: à quo, cùm durius ad petita populi re-
spondisset, decem tribus ad Jeroboamum desciverunt.
Quod si sacris profana jungere licet, vix scio an illustrius
translatæ ob hanc causam momēto quasi potestatis extet-
exem-

exemplum illò quod Sicilia; oppressa & crudelissimè à Dominiis habita, ad stuporem omniū dedit, ante tria & quod excurrit secula, Carolo Andegavensi regnante. Hic à Pontifice Romano evocatus ad Siciliæ dominatum, superato & occiso Manfredo, captis quoq; Conradino Sueviæ & Friderico Austriæ ducibus, iisdemque manu Carnificis horrendo facinore necatis, imperiū uti crudeliter auspi- catus, sic pari libidine annos ferè septendecim tenuerat. At dereumtē occultâ & unanimi incolarum conspiratio- ne, bihorii spatio totâ Siciliâ excidit, omnibus Gallici no- minis, quorum ad octo millia erant, interfectis, atq; Petro Arragonio ditione procerum eam occupante. Verissi- mum igitur, quod Propheta Daniel, postquam nocturnâ visione somnii Nebucadnezaris interpretationem acce- pisset, exclamat: Sit nomen Dei benedictum à seculo usq; in seculum. Nam sapientia ejus & potentia est, & ipse mu- tat tempora & tempestates, transfert Reges & constituit Reges. Siquidem summa Dei atque liberrima est potestas. Is pro infinitâ suâ sapientiâ & voluntate imperia mutat, & ab unâ gente in aliam transfert. Reges cōstituit, eosdem destruit. Dei est illud fatum, quo potestates dantur, quo adiunguntur. Fatum non Stoicum, sed Theologicum, non Ethnicum, sed Christianum: divina illa lex ab æterno in æternum permanens, quę cuiq; rei, atq; adeò etiam regnis & imperiis sua initia, suos progressus & interitum, non mi- nus sapienter, quàm justè, tum constituit, tum præstituit. Agnovit hoc itidem superstitionibus plus nimium intri- cata Ethnicorum cæcitas; uti non minus bene quàm ele- ganter Mæcenatis illud delicium canit:

Regum timendorum in proprios greges,

Reges in ipsos imperium est Jovis,

Clari giganteo triumpho:

Cuncta supercilie moventijs.

Propter libidines sanè non tantū regna esse deleta, sed totas sēpē gentes dissipatas, historię passim loquuntut. Sodoma & Gomorrha urbes unā cum circumiacente tractu flammis cælestibus sunt consumptæ: quam ob causam? propter libidinem. Tota tribus Benjamin funditus deleta est, exceptis solummodo sexcentis. Quam ob causam? propter stupratā Levitæ cōjugem. Quæ Causa fuit ejectionis Regum ex urbe Româ post expulsum Tarquinium? Nōne stuprum à filio Regis Lucretiæ illatum? Quæ itidem Causa belli Trojani, quod lentum Horatius vocat? Nonne ob Helenam, Lacēdæmonum Regis Menelai conjugem, à Paride raptam illud exortum est? Luxuriam verò atque libidines aliæ adhuc innumeræ mutationis Rerum publicarum occasiones excipiunt, quas humana solertia, ceu causas harum vicissitudinum secundas, notare potest. Ex earum numero in primis sunt religionum dissidia & vis conscientiis facta. Hæc partim Hispanum bonâ Belgii parte mulctavit, quæ nunc communi fædere regitur. Hæc animos subditorum exacerbare atque à Dominis avertere solet, unde sēpissimè seditionum scintillæ emicant & transferendi dominii metus incubit. Imò si discordiâ res maximæ (juxta verissimum Sallustii effatum) dilabuntur, quis dubitat certissimas imminere cōversiones, quando nec cum subditis, nec cum vicinis, Dominantibus convenit, quando illi exactiōibus iniquis opprimuntur, hi verò injuriis laceſſiti ad arma provocantur, ut vel ipsi illatas vindicent, vel potentiorum sollicitent auxilia? Tum enim ubi vis bellica ingruit & regiones Martis ad arbitrium recipiunt dominos, infinitæ subsequuntur imperiorum mutationes & vix ullum pristinam retinet faciem. Decrescit hoc, augetur illud. Uno cadente alterum exsurgit & per ruinam ad potentia fastigium grassatur. Quot regiones solo jure gladii possidentur? Qui titulus Turcis ad cujuscunque regionis invasionem sufficit. Quot non per pacta dotalia, oppignerationes, emtivenditive titulum, hæreditates, successiones ab intestato & similia, vel ad alios devolvuntur, vel ad pristinos reducuntur dominos? Quæ abundè docent nullum in orbe imperium vel semper idem, vel etiam semper subsistere, quin concutiatur & pereat, quin deprimatur & op̄primatur atque legem mutationis agnoscat.

At

At hæcce frontibus adversis componentes videmus tamen quædam adhuc imperia firma & iuconussa subsistere. *Venetorum Remp.* tot seculorum bella neendum evertere potuerunt, quin pergit fortiter se infidelibus opponere. Stat res Belgica celebratura proximè defensæ jam à seculo libertatis Jubilæum. Ridet *Cardinalis Bentivoglii* rationes, quibus eidem exitium portendere videbatur. Imò nullum in orbe regnum, quin sibi perennem spondeat dominatum. Fatendum tamen, Auditores optimi, & illam, & istam, & hæc variis obnoxia fuisse mutationibus, afflcta fuisse graviter, & experta cōversiones quam plurimas. Annon aliquando Venetorum Respublica omnibus in Italia ditionibus spoliata intra sinum maris Adriatici compulsa fuit? Annon Cyprus Insulam, Thessalonicam urbem, Epirum aliaque successivè perdidit? Annon æquè ac aliæ fatalem terminum metuere debet? Floreat nunc *Belgarum Respublica*, sustineat impetum potentissimorum Regum, novam in altero Orbe Rempublicam teneat. Subiecta tamen erit mutationibus, quoad illæ nobilitum factiones, Remonstrantium Cuniculi, & mutuæ provinciarum concertationes durabunt. Vigeat res *Helveticæ* intra suos tutæ fines, salvo fæderis vinculo salva. Spernat cujusvis hostis incursionem extranei, cincta fortissimo vallo quod naturæ debet. Semina nihilominus discordiarum, quas acerbum religionis odium fovet, illi subinde cladem minantur monentque eam à communī lege haud exceptam esse. Constat utiq; nullum unquam regnum, nullam ullo tempore Rempublicam fatalis termini expertem fuisse, plurima regna vix quingentos annos floruisse, paucissima hunc terminum superâsse. Testantur hoc & Medorum, & Persarum, Lacedæmonum & Macedonum omniumq; nationum ferè annales. Medorum potentia annorum tantum fuit ducentorum & quinquaginta. Persica Monarchia, cùm à Cyro usq; ad Darium ultimum opibus & potentia florisset, aliquot annis ultra ducentos desiit. Macedonum quoque inde ab *Alexandro M.* imperium annum centesimum sexagesimum non excessit. Nec potentissima Seleucidarum dominatio ultra ducentos & triginta stetit, quam Ptolemaeorum in Ægypto imperium lustris circiter quindecim superavit. Ut ut ergo floruerint, suas tamen habuere vices, suas tandem periodos agnoverē.

Sed quid Soli lucem fenerari, aut aquam Oceano infundere
contendo? Ne vestrâ benevolentâ A. H. diutius abuti videar, hic
filum abrumpo finemq; dicendi facio. Audivisti ex iis quæ dictâ
sunt esse regnum & imperiorum mutationes, tam conversio-
nes, quâm eversiones, quibus raro in meliorem, saepius in deteriorem
statum commutantur: Tum quæ sunt istarum mutationum Causæ
intellequistis. Peccata scilicet tam Magistratum, quâm subditorum,
vix hostilem & domesticas dissensiones. Nostri igitur erit officii,
cum nihil sit opere aut manu factum, quod aliquando non conficiat
& consumat vetustas, & mala etiam ultrò adsint, in nos ut descendâ-
mus, cavendo diligenter, ne in eorum numero reperiamur, quorum
culpâ fatalis illa imperiorum Conversio hunc etiam Principatum af-
fligat. Quin potius, si fidi patriæ Cives audire volumus, omni curâ &
studio operam dabitur, ut pietate & vitæ integritate, bonorum ope-
rum studio & virtutum exercitiis, mutationes ejusmodi vel potius
eversiones à patriæ nostræ cervicibus avertamus, bellique incendia
salute ejusdem restinguamus. Hæc autem cum nostri non sint arbi-
trii, sed pœnæ justo Dei judicio immisæ, quid restat aliud, nisi ut co-
ram ejus abjecti majestate, furorem iræ divinæ deprecemur? Ah re-
spice nos tandem Jehovah, imò respice faciem Christi tui! Respice
Rempublicam nostram, eamq; divinâ tuâ Clementiâ cœu immobili
protege clypeo! Respice CELSISIMUM PRINCIPEM eumque omni-
bus Heroicarum virtutum stimulis magis magisque excita & confir-
ma, ut spiritu sapientiæ & roboris præditus, ita regiminis porrò gu-
bernacula temperet, quò ad seros usque nepotes pacato ac felici do-
minatu nobis quâm diutissimè præsit. Proceres & quotquot ad cla-
vum imperii sedent, ita consilio & prudentiâ instrue, ut sub auspiciis
eorum Rempublicam habeamus inconcussam. Noli armorum nos
penitus objicere sævitiae: noli permittere, ut ab aëre infesto tristem
metuamus vastitatem. Sed ita potius huic adfis provinciæ, quò Nassou-
viæ Principatus perpetim siet suâ mole & Tuâ benignitate à noxiâ
mutatione tutus, ecclesiæ asylum, literarum & artium domicilium,
omniumque bonorum refugium, per pacis restauratorem
benedictum, in secula seculorum.

D I X L

Kd 2246

ULB Halle
002 800 578

3



5b.

a.5. 1017





Farbkarte #13

B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

8
7
6
5
4
3
2
1
Centimetres
Inches

O
LITICA
NIBVS
ARVM
sis.
SPICIS
DREÆ,
x Professoris
vici confluxu ex
est
DENBACHIUS,
thor.
Auditorio majori.
ORUM. 1666.

Viro dorthimo
Dr. Joh. Gerlaco Wilhel
Gymnasii Seidelb. Repto
cum pl. Salute mittit

Andreas

